OFFICIUM PROPRIUM

S. ANTONII ABBATIS.



OFFICIUM PROPRIUM

IN FESTO

S. ANTONII ABBATIS

DIŒCESIS MINORICENSIS

PRINCIPALIS PATRONI,

A SSMO. DNO. LEONE XIII PONTIF. MAX.
EIDEM DIŒCESI CONCESSUM.

CIVITELLÆ
APUD R. MASSANET
MDCCCXCVIII

BARCINONÆ
TYPIS SUBIRANA FRATRES
in via dicta, Puertaferrisa, 14.

DIE XVII JANUARII.

IN FESTO

S. ANTONII ABBATIS

DUPLEX I. CLASSIS CUM OCT.

IN I. VESPERIS.

ANTIPHONA.

BOnum Ægypto* Médicum Christus déderat: quis non tristítiam apud Antônium mutâvit in gáudium? Iram quis non vertit in pacem?

PSALMUS 109.

DIxit Dóminus Dómino meo: * Sede à dextris meis:

Donec ponam inimícos tuos, * scabéllum pedum tuórum.

Virgam virtûtis tuæ emíttet Dóminus ex Sion: * dominâre in médio inimicôrum tuôrum.

Tecum princípium in die virtûtis tuæ, in splendóribus sanctórum: * ex útero ante Lucíferum genui te.

Jurávit Dóminus, et non pœni-

tébit eum: * Tu es sacérdos in ætérnum secúndum órdinem Melchísedech.

Dóminus à dextris tuis,* confrégit in die iræ suæ reges.

Judicábit in natiónibus, implébit ruinas: * conquassábit cápita in terra multórum.

De torrénte in via bibet: * proptérea exaltâbit caput.

Aña. Bonum Ægipto Médicum Christus déderat: quis non tristítiam apud Antônium mutâvit in gáudium? Iram quis non vertit in pacem?

Aña. Semper hilarem * fáciem gerens, nec secùndis extollebâtur, nec frangebâtur adversis.

PSALMUS 110.

COnfitébor tibi Dómine in toto corde meo; * in consílio justórum, et congregatione.

Magna ópera Dómini: * exquisíta in omnes voluntâtes ejus.

Confèssio et magnificéntia opus ejus: * et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Memóriam fecit mirabílium suórum, misèricors et miserátor Dóminus: * escam dedit timéntibus se.

Mémor erit in sæculum testaménti sui: * virtútem óperum suórum annuntiâbit, pópulo suo.

Ut det illis hereditâtem Gentium,* ópera mánuum ejus véritas et judícium.

Fidélia ómnia mandáta ejus: confirmáta in sæculum sæculi, * facta in veritáte et æquitáte.

Redemptiónem misit pópulo suo: * mandávit in ætérnum testaméntum suum.

Sanctum et terríbile nómen ejus: * inítium sapiéntiæ tímor Dómini.

Intelléctus bonus ómnibus faciéntibus eum: * laudátio ejus manet in sæculum sæculi.

Aña. Semper hilarem fáciem gerens, nec secúndis extollebâtur, nec frangebâtur adversis.

Aña. Clamábat * quædam múlier ad Beátum Antônium: Expêcta homo Dei, expêcta: filia mea atrocíssimo vexátur dœmónio.

PSALMUS 111.

BEátus vir qui timet Dóminum: * in mandátis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus: * generátio rectórum benedicêtur.

Glória et divítiæ in domo ejus, et justítia ejus manet in sæculum sæculi.

Exórtum est in ténebris lumen rectis: * misèricors, et miserátor, et justus.

Jucúndus homo qui miserétur et cómmodat, dispónet sermónes suos in judício: * quia in ætérnum non commovébitur.

In memória ætérna erit justus: * ab auditióne mala non timébit.

Parátum cor ejus sperâre in Dómino,

confirmâtum est cor ejus: * non commovébitur donec despíciat inimícos suos.

Dispérsit, dedit paupéribus: justítia ejus manet in sæculum sæculi, * cornu ejus exaltâbitur in glória.

Peccátor vidébit et irascétur, déntibus suis fremet et tabéscet: * desidérium peccatórum períbit.

Aña. Clamábat quædam múlier ad Beátum Antônium: Expêcta homo Dei, expêcta: fília mea atrocíssimo vexâtur dœmónio.

Aña. Benedíctus * Deus; qui servo suo tantam cóntulit grâtiam, ut et sanitates restitúeret, et spirítibus immúndis imperáret.

PSALMUS 112.

LAudáte pueri Dóminum: * laudáte nomen Dómini.

Sit nomen Dómini benedíctum, * ex hoc nunc et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occásum, * laudábile nomen Dómini.

Excélsus super omnes Gentes Dóminus, * et super cœlos glória ejus.

Quis sicut Dóminus Deus noster, qui in altis hábitat, * et humília réspicit in cœlo et in terra?

Súscitans à terra ínopem, * et de stércore érigens páuperem.

Ut cóllocet eum cum princípibus, * cum princípibus pópuli sui.

Qui habitâre facit stérilem in domo, * matrem filiórum lætántem.

Aña. Benedíctus Deus; qui servo suo tantam cóntulit grâtiam, ut et sanitátes restitúeret, et spirítibus immundis imperáret.

Aña. Æquabilitâtem * propósiti tenens Antônius, nec vestiméntum mutàvit, nec pedes lávit, nec escam sectâtus est molliôrem.

PSALMUS 116.

LAudáte Dóminum omnes Gentes: * laudáte eum omnes pópuli.

Quóniam confirmáta est super nos misericórdia ejus: * et véritas Dómini manet in ætérnum.

Aña. Æquabilitâtem propósiti tenens Antônius, nec vestiméntum mutàvit, nec pedes lávit, nec escam sectâtus est molliôrem.

CAPITULUM.

Eccli. 2.

FIlli, accêdens ad servitûtem Dei, sta in justítia, et timôre, et præpara ánimam tuam ad tentationem. Déprime cor tuum, et sústine: inclîna aurem tuam, et súscipe verba intellêctus: et ne festínes in témpore obductiónis.

℟. Deo grátias.

HYMNUS.

URbs beáta Viennénsis,
Et beátus pópulus,
Apud quos non dubitâtur,

Esse Dei fámulus,
Ubi mira per eúmdem
Sanctum fiunt sæpiùs.
O quot ad ejus infirmi
Cónfluunt Ecclésiam,
Implorântes per eúmdem
Divinam clementiam!
Et recípiunt ibidem
Sanitâtis grâtiam.
Nos infirmi nos jacéntes
In peccâtis hóminum,
Tuis, Pater, indigêmus
Précibus ad Dóminum:
Ut à malo liberémur,
Et ab æstu críminum.
Domos nostras circumcínge
Muro providéntiæ,
Ne reátu levitátis,
Sive negligéntiæ,
Per fenéstras ad nos intret
Mors concupiscéntiæ.
Gloria et honor Deo
Usquequáque Altíssimo,
Una Patri, Filióque,
Inclyto Parâclito:
Cui laus est et potêstas
Per immensa sæcula. Amen.

℣. Ora pro nobis Beáte Antôni.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

AD MAGNIFICAT.

Aña. O quàm præclárum * est Beáti Antônii nomen! cujus sermo, sale cónditus, consolabátur mœstos, docêbat inscios, concordâbat irátos, ómnibus suâdens, nihil amôri Christi anteponéndum.

CANTICUM B. M. V.
Luc. I.

MAgníficat * ánima mea Dóminum:
Et exultâvit spíritus meus* in Deo salutári meo.
Quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ: * ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.
Quia fecit mihi magna qui potens est: * et sanctum nomen ejus.
Et misericórdia ejus à progénie in progénies * timéntibus eum.
Fecit poténtiam in bráchio suo: * dispérsit supérbos mente cordis sui.
Depósuit poténtes de sede, * et exaltâvit húmiles.
Esuriéntes implévit bonis:* et dívites dimísit inánes.
Suscépit Israel púerum suum, * recordátus misericórdiæ suæ.
Sicut locútus est ad patres nostros,* Abráham, et sémini ejus in sæcula.
Aña. O quàm præclárum est Beáti Antônii nomen! cujus sermo, sale cónditus, consolabâtur mœstos, docébat inscios, concordâbat irátos, ómnibus suâdens, nihil amôri Christi anteponéndum.

ORATIO.

OMnipotens sempitérne Deus, qui Beátum Antônium, váriis tentatiónibus probâtum, inter mundi hujus túrbines, illæsum transíre fe-

cisti: Concéde nobis fámulis tuis; ut et præcláro ipsíus in sancta professióne proficiámur exemplo; et à præséntis vitæ periculis, ejus méritis, et intercessióne liberêmur. Per Dóminum.

AD MATUTINUM.

INVITATORIUM.

Laudêmus Deum nostrum: * in solemnitâte Beáti Antônii Abbátis.

Laudêmus Deum nostrum: * in solemnitâte Beáti Antônii Abbátis.

PSALMUS 94.

VEnite, exultémus Dómino, jubilémus Deo salutári nostro: præoccupémus fáciem ejus in confessióne, et in psalmis jubilêmus ei.

Laudêmus Deum nostrum: * in solemnitâte Beáti Antônii Abbátis.

Quóniam Deus magnus Dóminus, et Rex magnus super omnes deos: quóniam non repéllet Dóminus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitúdines móntium ipse cónspicit.

In solemnitâte Beáti Antônii Abbátis.

Quóniam ipsíus est mare, et ipse fecit illud, et áridam fundavérunt manus ejus: veníte adorémus, et procidâmus ante Deum: plorémus coram Dómino, qui fecit nos, quia ipse est Dóminus Deus noster: nos autem pópulus

ejus, et oves páscuæ ejus.

Laudêmus Deum nostrum: * in solemnitâte Beáti Antônii Abbátis.

Hódie si vocem ejus audiéritis, nolíte obduráre corda vestra, sicut in exacerbatióne secúndum diem tentatiónis in deserto: ubi tentavérunt me patres vestri, probavérunt, et vidérunt ópera mea.

In solemnitâte Beáti Antônii Abbátis.

Quadraginta annis próximus fui generatióni huic, et dixi: Semper hi errant corde: ipsi vero non cognovérunt vias meas, quibus jurávi in ira mea, si introíbunt in réquiem meam.

Laudêmus Deum nostrum: * in solemnitâte Beáti Antônii Abbátis.

Glória Patri, et Fílio, et Spiritui sancto: sicut erat in princípio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculórum. Amen.

In solemnitâte Beáti Antônii Abbátis.

Laudêmus Deum nostrum: * in solemnitâte Beáti Antônii Abbátis.

Hymnus. Urbs beáta Viennénsis. *ut in I. Vesp.*

IN I. NOCTURNO.

Aña. Paréntibus * Religiósis, et nobílibus gloriósus Antônius apud Ægiptum oriúndus fuit.

PSALMUS 1.

BEátus vir, qui non ábiit in consílio impiórum, et in via peccatórum non stétit, et in cáthedra pestiléntiæ non sedit:

Sed in lege Dómini volúntas ejus, * et in lege ejus meditábitur die ac nocte.

Et erit tamquam lignum, quod plantâtum est secus decúrsus aquárum, * quod fructum suum dábit in tëmpore suo:

Et fólium ejus non défluet: * et ómnia quæcúmque fáciet prosperabúntur.

Non sic impii, non sic: * sed tamquam púlvis, quem prójicit véntus à facie terræ.

Ideo non resurgent impii in judício: * neque peccatóres in consilio justórum.

Quóniam nóvit Dóminus viam justórum: * et iter impiórum peribit.

Aña. Paréntibus Religiósis, et nobílibus gloriósus Antônius apud Ægiptum oriúndus fuit.

Aña. Beátus Antônius, * Evangélii non ímmemor, patérna prædia distráxit, et prétia dedit paupéribus.

PSALMUS 2.

QUare fremuérunt Gentes, * et pópuli meditáti sunt inánia?

Astitérunt reges terræ, et príncipes convenérunt in unum * advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

Dirumpâmus víncula eórum : * et projiciâmus à nobis jugum ipsórum.

Qui hábitat in cœlis irridêbit eos: * et Dóminus subsannâbit eos.

Tunc loquétur ad eos in ira sua, * et in furóre suo conturbâbit eos.

Ego autem constitútus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, * prædicans præcéptum ejus.

Dóminus dixit ad me: * Fílius meus es tu, ego hódie génui te.

Póstula à me, et dabo tibi gentes hæreditátem tuam, * et possessiónem tuam términos terræ.

Reges eos in virga férrea, * et tamquam vas fíguli confrínges eos.

Et nunc reges intellígite: * erudímini qui judicátis terram,

Servîte Dómino in timóre: * et exultáte ei cum tremóre,

Apprehéndite disciplinam, nequando irascâtur Dóminus, * et pereâtis de via justa.

Cum exárserit in brevi ira ejus, * beáti omnes qui confídunt in eo.

Aña. Beátus Antônius Evangélii non ímmemor, patérna prædia distráxit, et pretia dedit paupéribus.

Aña. Ab ómnibus * sæculi vínculis liberátus, ásperum, véhemens, et árduum arripuit institútum.

PSALMUS 3.

DÓmine, quid multiplicáti sunt qui tríbulant me? * multi insúrgunt advérsum me.

Multi dicunt ánimæ meæ: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Dómine suscéptor meus es, * glória mea, et exâltans caput meum.

Voce mea ad Dóminum clamávi: * et exaudívit me de monte sancto suo.

Ego dormívi, et soporátus sum: * et exurréxi, quia Dóminus suscépit me.

Non timébo míllia pópuli circumdântis me: * exúrge Dómine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussísti omnes adversántes mihi sine causa: * dentes peccatórum contrivísti.

Dómini est salus: * et super pópulum tuum benedíctio tua.

Aña. Ab ómnibus sæculi vínculis liberâtus, ásperum, véhemens, et árduum arripuit institútum.

℣. Amávit eum Dóminus, et ornávit eum.

℟. Stólam glóriæ induit eum.

Pater noster. *Absolutio.* Exáudi Dómine.

℣. Jube domne. *Benedictio.* Benedictióne perpétua.

De libro Ecclesiastici.

LECTIO I. *Cap. 2.*

FIlli, accédens ad servitútem Dei, sta

in justitia, et timóre, et præpara ánimam tuam ad tentatiónem. Déprime cor tuum, et sústine: inclína aurem tuam, et súscipe verba intelléctus; et ne festínes in témpore obductiônis. Sústine sustentatiónes Dei: conjúngere Deo, et sústine, ut crescat in novíssimo vita tua.

℟. Beáti Antônii laudes, et solémnia célebret Ecclésia. * Qui cœléstem ducens vitam in terris, Angelum, non hóminem móribus præ se ferébat.

℣. A sæculi vínculis liberátus, iter árduum cœpit eúndi ad cœlum.* Qui cœléstem.

Benedictio. Unigénitus Dei Fílius.

LECTIO II.

OMne, quod tibi applícitum fuérit, áccipe: et in dolôre sústine, et in humilitáte tua patiéntiam habe: quóniam in igne probátur aurum, et argéntum; hómines vero receptíbiles in camíno humiliatiônis. Crede Deo; et recuperâbit te: et dírige viam tuam, et spéra in íllum: sérva timórem illíus, et in illo veteráscе.

℟. Ibat Beátus Antônius Monachôrum per cellas, vitas Patrum, et virtûtes singulôrum diligénter atténdens.* Et sicut sédula apes, quæ váriis gustâtis flóribus, mel erúctat, magnum úndique

suscépit fructum salútis.

℣. Continéntiam hujus humilitâtem istíus, patiéntiam illíus sectabâtur. Et sicut.

Benedictio. Spíritus Sancti grátia.

Lectio III.

Metüentes Dóminum, sustinéte misericórdiam ejus: et non deflectâtis ab illo, ne cadâtis. Qui timétis Dóminum, crédite illi: et non evacuâbitur merces vestra. Qui timétis Dóminum, speráte in illum: et in oblectatiónem veniet vobis misericórdia. Qui timétis Dóminum, dilígite illum, et illuminabûntur corda vestra. Respícite, filii, natiónes hóminum: et scitôte, quia nullus sperâvit in Dómino, et confúsus est. Quis enim permânsit in mandàtis ejus, et derelíctus est? Aut quis invocâvit eum, et despéxit illum?

℟. Flagellâtus à dœmónibus, et pene confóssus Antônius Dei præséntiam, et misericórdiam intelléxit in lúmine: et suspíciens in cœlum clamâbat. * Ubi éras, Jesú bone? Ubi éras?

℣. Quare non adfuísti à princípio, ut sanâres vúlnera mea? Ubi éras. Glória Patri. Ubi éras.

IN II. NOCTURNO.

Aña. Sanctus Antônius, * hábitans in ábditis, inter primos Erémi cultóres invéntus est in Ægypto.

Psalmus 4.

Cum invocárem, exaudívit me Deus justítiæ meæ: * in tribulatiône dilatásti mihi.

Miserére mei, * et exáudi oratiônem meam.

Filii hóminum usquequô gravi corde? * ut quid dilígitis vanitâtem, et quæritis mendácium?

Et scitôte quóniam mirificâvit Dóminus Sanctum suum: * Dóminus exâudiet me, cum clamâvero ad eum.

Irascímini, et nolíte peccâre: * quæ dícitis in córdibus vestris, in cubílibus vestris compungímini.

Sacrificáte sacrifícium justítiæ, et speráte in Dómino: * Multi dicunt: Quis osténdit nobis bona?

Signátum est super nos lúmen vultus tui Dómine: * dedísti lætítiam in corde meo.

A fructu fruménti, vini, et ólei sui * multiplicáti sunt.

In páce in idipsum * dórmiam, et requiéscam.

Quóniam tu Dómine singuláriter in spe * constituísti me.

Aña. Sanctus Antônius, hábitans in ábditis, inter primos Erémi cultôres invéntus est in Ægipto.

Aña. Ne quem suórum * gravâret Antônius, sed habéret unde tribûeret necessitâtem patiéntibus, laborábat operándo mánibus

suis, quod bonum est.

Psalmus 5.

VErba mea áuribus pércipe Dómine, * intéllige clamórem meum.

Inténde voci oratiónis meæ, * Rex meus et Deus meus.

Quóniam ad te orábo: * Dómine mane exâudies vocem meam.

Máne astâbo tibi et vidébo: * quóniam non Deus vólens iniquitâtem tu es.

Neque habitâbit juxta te malígnus; * neque permanébunt injústi ante óculos tuos.

Odísti omnes, qui operántur iniquitátem: * pérdes omnes, qui loquúntur mendácium.

Virum sânguinum et dolôsum abominâbitur Dóminus: * ego autem in multitúdine misericórdiæ tuæ,

Introíbo in domum tuam: * adorábo ad témplum sanctum tuum in timôre tuo.

Dómine déduc me in justítia tua, * propter inimícos meos dírige in conspéctu tuo viam meam.

Quóniam non est in óre eorum véritas: * cor eorum vánum est.

Sepúlchrum pátens est gûttur eorum, linguis suis dolôse agébant, * júdica illos Deus.

Décidant à cogitatiônibus suis, secúndum multitúdinem impietâtum eorum expélle eos, * quóniam irritavérunt te Dómine.

Et læténtur ómnes, qui spérant in te, * in ætérnum exultâbunt, et habitâbis in eis.

Et gloriabûntur in te ómnes, qui díligunt nomen tuum, * quóniam tu benedíces justo.

Dómine, ut scuto bonæ voluntátis tuæ * coronásti nos.

Aña. Ne quem suórum gravâret Antônius, sed habéret unde tribúeret necessitâtem patiéntibus, laborâbat, operándo mánibus suis, quod bonum est.

Aña. Dum tantis * Sanctus Antônius in adolescéntia floréret virtûtibus, ut ómnium in se provocâret afféctum, veterânis eum aggréssus est fráudibus christiáni nóminis inimícus.

Psalmus 8.

DÓmine Dóminus noster, * quàm admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Quóniam elevâta est magnificéntia tua, * super cœlos.

Ex ore infántium et lacténtium perfecísti laudem propter inimícos tuos, * ut déstruas inimícum et ultórem.

Quôniam vidébo cœlos tuos, ópera digitórum tuorum * lunam et stéllas, quæ tu fundásti.

Quid est homo, quod mémor es ejus? * aut filius hóminis, quóniam visitas eum?

Minúisti eum paulo minus ab Angelis, glória et honóre coronásti eum:

* et constituísti eum super ópera manuum tuarum.

Omnia subjecísti sub pédibus ejus, * óves et bóves univérsas: ínsuper et pécora campi.

Vólucres cœli, et písces maris, * qui perâmbulant sémitas maris.

Dómine Dóminus noster, * quam admirábile est nomen tuum in univérsa terra.

Aña. Dum tantis Sanctus Antônius in adolescéntia floréret virtûtibus, ut ómnium in se provocáret afféctum, veteránis eum aggréssus est fráudibus christiáni nóminis inimícus.

℣. Os justi meditâbitur sapiéntiam.
℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

Pater noster. *Absolutio.* Ipsíus piétas.

℣. Jube dómne. *Benedictio.* Deus Pater omnípotens.

Ex Breviario Romano.

Lectio IV.

ANtônius Ægyptius, nobílibus et christiánis paréntibus natus, quibus adoléscens orbâtus est, cum ingréssus Ecclésiam ex Evangélio audísset: si vis perféctus esse, váde, et vénde ómnia, quæ hábes, et da paupéribus, tamquam ea sibi dicta essent, sic Christo Dómino obtemperândum exístimávit. Itaque, véndita re familiári, pecûniam omnem paupéribus distribuit. Quibus solûtus impediméntis, cœlestis vitæ génus in terris cólere instituit. Sed cum in periculósum illud certâmen descénderet, ad fídei præsídium, quo erat armátus, adhibéndum sibi putâvit subsídium reliquárum virtútum: quarum tanto studio incénsus fuit, ut quemcúmque vidéret, aliqua virtútis laude excelléntem, illum imitári studéret.

℟. Pernóctans Dei fámulus sæpíssimè in oratióne, edébat semel in die post solis occásum. * Nonnúmquam bíduo, triduóque sic pérmanens, quarta demum die reficiebâtur.
℣. Sumébat vero panem, et sal, potûmque aquæ parum. Nonnúmquam.

Benedictio. Christus.

Lectio V.

NIhil ígitur eo continéntius, nihil vigilántius erat. Patiéntia, mansuetúdine, misericórdia, humilitáte, labóre, ac studio divinárum Scripturárum superâbat omnes. Ab hæreticórum, et schismaticórum hóminum, máximè Arianórum congréssu, et collóquio sic abhorrébat, ut, ne prope quidem ad eos accedéndum, díceret. Húmi jacébat, cum eum necessárius sómnus occupâsset. Jejúnium autem adeo cóluit, ut sálem tantûmmodo ad panem adhibéret, sí-

tim aqua extinguere‑ret: neque se ante solis occásum cibo, aut pótu recreábat: sæpè etiam bíduum cibo abstinébat: sæpissimè in oratióne pernoctâbat. Cum talis, tantúsque Dei miles evasisset Antónius, sanctíssimum júvenem hostis humáni géneris váriis tentatiónibus aggréditur, quas ille jejúnio, et oratióne vincébat. Nec vero fréquens de Sátana triumphus secúrum reddébat Antónium, qui diáboli innumerábiles ártes nocéndi nóverat.

℟. Sermo ejus sale condítus consolabâtur mœstos, docébat ínscios, concordâbat irátos. * Omnibus suádens, nihil amóri Christi anteponéndum.

℣. Plurimos ab immúndis spirítibus, et infirmitátibus váriis Dei grátia liberâvit. Omnibus suádens.

Benedictio. Ignem sui amóris.

Lectio VI.

Itaque cóntulit se in vastíssimam Ægypti solitûdinem, ubi quòtidie ad christiánam perfectiónem profíciens, dœmones (quorum tanto erant acriores ímpetus, quanto Antônius ad resisténdum fórtior evadébat) ita contémpsit, ut illis exprobráret imbecillitátem: ac sæpè discípulos suos éxcitans ad pugnándum contra diábolum, docénsque, quibus armis vincerétur: Mihi crédite, dicebat, frátres, pertiméscit Sátanas piorum vigílias, oratiónes, jejúnia, voluntáriam paupertátem, misericórdiam et humilitátem, maximè vero ardéntem amórem in Christum Dôminum; cujus único sanctíssimæ Crucis signo debilitátus áufugit. Sic autem dœmónibus erat formidolósus, ut multi per Ægyptum ab illis agitáti, invocáto nómine Antônii, liberaréntur; tántaque erat ejus fama sanctitátis, ut per lítteras se ejus oratiónibus Constantínus Magnus, et filii commendârent. Qui aliquándo quintum et centésimum annum ágens, cum innumerábiles sui institúti imitatóres habéret, convocátis Mónachis, et ad perféctam christiánæ vitæ régulam instrúctis, sanctitáte et miráculis clarus migrávit in cœlum, décimo sexto Kalendas Februárii. Corpus ejus involûtum, ut ipse præcéperat, discípuli in ábdito loco sepeliérunt, ubi centum, et septuagínta annos, ignótum látuit. Quod póstea Dei providéntia repértum, Alexandríam primum, deinde Constantinópolim, postremò in Gallias, ad oram Viennénsem translátum est. Ibique signórum glória illûstre, summo honôre cólitur.

℟. Cum ad tugûrium Beáti Pauli primi Eremítæ, Sanctus Antônius,

lúpam sequens, divertísset. * Côrvus, nutu Dei, panem áttulit íntegrum, quem per annos sexaginta, attúlerat dimidiátum.

℣. Eja, inquit Paulus, sumámus cibum, quia militibus suis Christus duplicâvit annônam. Córvus. Glória Patri. Córvus.

IN III. NOCTURNO.

Aña. Sæpiùs autem * tam apértis in eum telis irruébat, ut nullus ambígeret, quin contra diábolum dimicáret.

Psalmus 14.

DÓmine, quis habitábit in tabernáculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingréditur sine mácula, * et operátur justítiam.

Qui lóquitur veritátem in corde suo, * qui non égit dólum in lingua sua.

Nec fecit próximo suo malum, * et oppróbrium non accépit advérsus próximos suos.

Ad nihilum dedúctus est in conspectu ejus malignus: * timéntes autem Dóminum glorificat.

Qui júrat próximo suo, et non décipit, * qui pecúniam suam non dédit ad usuram, et múnera super innocéntem non accépit.

Qui fácit hæc, * non movébitur in ætérnum.

Aña. Sæpiùs autem tam apértis in

eum telis irruébat, ut nullus ambígeret, quin contra diábolum dimicáret.

Aña. Jucûndus, * et affábilis, juxta præcéptum Apóstoli, sermônem divino sale condítum proferébat.

Psalmus 20.

DÓmine in virtute tua lætábitur rex: * et super salutáre tuum exultábit veheménter.

Desidérium córdis ejus tribuísti ei: * et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcédinis: * pósuisti in cápite ejus corónam de lápide pretióso.

Vitam pétiit à te: * et tribuísti ei longitúdinem diérum in sæculum, et in sæculum sæculi.

Magna est glória ejus in salutári tuo: * glóriam et magnum decórem impónes super eum.

Quóniam dabis eum in benedictiónem in sæculum sæculi: * lætificábis eum in gáudio cum vultu tuo.

Quóniam rex spérat in Dómino: * et in misericórdia Altíssimi non commovébitur.

Inveniâtur mánus tua ómnibus inimícis tuis: * déxtera tua invéniat omnes qui te odérunt.

Pones eos ut clíbanum ignis in témpore vultus tui: * Dóminus in ira sua conturbábit eos, et devorábit eos ignis.

Fructum eorum dé terra pérdes: * et semen eorum à filiis hóminum.

Quóniam declinavérunt in te mala: * cogitavérunt consília, quæ non potuérunt stabilíre.

Quóniam pones eos dórsum: * in relíquiis tuis præparàbis vultum eorum.

Exaltâre Dómine in virtûte tua: * cantàbimus et psallémus virtûtes tuas.

Aña. Jucûndus, et affàbilis, juxta præcéptum Apóstoli, sermónem divíno sale condítum proferébat.

Aña. Vox de cœlo * ad Antônium facta est: Quóniam viríliter dimicásti, ecce ego tecum sum, et fáciam te in toto orbe nominári.

Psalmus 23.

DÓmini est terra, et plenitúdo ejus: * orbis terrárum, et univérsi, qui hábitant in eo.

Quia ipse super mária fundávit eum: * et super flûmina præparavit eum.

Quis ascéndet in montem Dómini? * aut quis stábit in loco sancto ejus?

Innocens mánibus et mundo corde,* qui non accépit in vano ánimam suam, nec jurávit in dólo próximo suo:

Hic accípiet benedictiônem à Dómino, * et misericórdiam à Deo salutári suo.

Hæc est generátio quæréntium

eum,* quæréntium fáciem Dei Jácob.

Attôllite pórtas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus fortis et pótens: Dóminus pótens in prælio.

Attôllite pórtas príncipes vestras, et elevámini portæ æternáles: * et introíbit Rex glóriæ.

Quis est iste Rex glóriæ? * Dóminus virtútum ipse est Rex glóriæ.

Aña. Vox de cœlo ad Antônium facta est: Quóniam viríliter dimicásti, ecce ego tecum sum, et fáciam te in toto orbe nominári.

℣. Lex Dei ejus in córde ipsíus.

℟. Et non supplantâbuntur gressus ejus.

Pater noster. *Absolutio.* A vínculis. ℣. Jube domne. *Benedictio.* Evangélica lectio.

Lectio sancti Evangélii secundùm Matthæum.

Cap. 19.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia Sancti Hierónymi Presbyteri. *Lib. 3. in Matth. cap. 19.*

Lectio VII.

GRândis fidúcia: Petrus piscátor erat, dives non fuérat,

cibos manu, et arte quærébat: et tamen lóquitur confidénter: Reliquimus ómnia. Et quia non súfficit tantum relínquere, jungit quod perféctum est: Et secúti sumus te. Fécimus quod jussísti: quid igitur nobis dabis præmii? Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos, qui secúti estis me, in regeneratióne, cùm sêderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super sedes duódecim, judicántes duódecim tribus Israël. Non dixit: Qui reliquistis ómnia; hoc enim et Crátes fecit Philósophus, et multi alii divítias contempsérunt; sed, qui secúti estis me, quod propriè Apostolórum est, atque credéntium.

℟. Factum est dum Paulus spíritum Dómino reddidísset, Beátus Antônius festínus rediens, vidit ejus ánimam, inter choros Angelórum candóre níveo fulgéntem in sublíme conscéndere: * Et statim in fáciem procídens, sábulum cápiti suo superjaciébat.

℣. Plôransque, et éjulans ajebat: Cur me Paule dimíttis? Cur insalutátus ábis? Tam tarde notus, tam cito recédis! Et statim.

Benedictio. Cujus festum cólimus.

Lectio VIII.

In regeneratióne, cum sêderit Fílius hóminis in sede majestátis suæ

(quando et mórtui de corruptióne resûrgent incórrupti) sedébitis et vos in sóliis judicántium, condemnántes duódecim tribus Israël: quia vobis credéntibus, illi crédere noluérunt. Et omnis, qui relíquerit domum, vel frátres, aut soróres, aut patrem, aut matrem, aut uxôrem, aut fílios, aut ágros propter nomen meum; céntuplum accípiet, et vitam ætérnam possidébit. Locus iste cum illa senténtia cóngruit, in qua Salvátor lóquitur: Non véni pacem míttere, sed gládium. Véni enim separáre hóminem à patre suo, et matrem à fília, et nûrum à sócru: et inimíci hóminis, doméstici ejus. Qui ergo propter fidem Christi, et prædicatiónem Evangélii, omnes afféctus contémpserint, atque divítias, et sæculi voluptátes; isti céntuplum recípient, et vitam ætérnam possidébunt.

℟. Beatíssimus sénex, à divína providéntia de sua morte condíscens: últimam, ait, filioli, Patris audíte senténtiam. * Cógit condítio naturæ, ut post centenárium númerum, quem annis quinque supergrêdior, jam resólvar.

℣. Ego quidem secúndum elóquia Scripturárum, Pátrum grâdior viam, jam enim Dóminus me invítat. Cógit. Glória Patri. Cógit.

Benedictio. Ad societátem.

Lectio IX.

Ex occasióne hujus senténtiæ quidam introdúcunt mille annos post resurrectiónem, dicéntes, tunc nobis céntuplum ómnium rerum, quas dimíssimus, et vitam ætérnam esse reddéndam: non intellígentes, quod, si in cæteris digna sit repromíssio, in uxóribus appâreat turpitúdo; ut qui unam pro Dómino dimíserit, céntum recípiat in futúro. Sensus ergo iste est: Qui carnália pro Salvatóre dimíserit, spirituália recípiet: quæ comparatióne et mérito sui ita erunt, quasi si parvo número centenárius númerus comparétur.

HYMNUS

SS. AMBROSII ET AUGUST.

Te Deum laudámus: te Dóminum confitémur.
Te ætérnum Pátrem: omnis terra venerátur.
Tibi omnes Ángeli: tibi cœli, et univérsæ potestâtes:
Tibi Chêrubim et Sêraphim: incessábili voce proclámant:
Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dóminus Deus Sabaoth.
Pleni sunt cœli, et terra majestátis glóriæ tuæ.
Te gloriósus Apostolórum chórus,
Te Prophetárum laudábilis númerus,

Te Mártyrum candidátus láudat exércitus,
Te per órbem terrárum sancta confitétur Ecclésia,
Pátrem imménsæ majestátis,
Venerándum tuum vérum et únicum Fílium,
Sanctum quôque Paràclitum Spíritum.
Tu Rex glóriæ Christe.
Tu Pátris sempitérnus es Fílius.
Tu ad liberándum susceptûrus hóminem: non horruísti vírginis úterum.
Tu dévicto mortis acúleo: aperuísti credéntibus regna cœlórum.
Tu ad déxteram Dei sedes: in glória Pátris.
Júdex créderis esse ventúrus.
Te ergo quæsumus, tuis fámulis sûbveni: quos pretióso sânguine redémisti.
Ætérna fac cum Sanctis tuis: in glória numerári.
Sálvum fac pópulum tuum Dómine: et bénedic hæreditáti tuæ.
Et rege eos: et extólle illos usque in ætérnum,
Per síngulos dies benedícimus te.
Et laudámus nomen tuum in sæculum: et in sæculum sæculi.
Dignáre Dómine die isto: sine peccáto nos custodíre.
Miserére nostri Dómine: miserére nostri.
Fíat misericórdia tua Dómine super nos: quemàdmodum sperâvimus in te.

In te Dómine sperâvi: non confúndar in ætérnum.

AD LAUDES.

℣. Deus in adjutórium.
℟. Dómine ad adjuvándum.
Glória Patri.

Aña. Bonum Ægipto * Médicum Christus déderat: quis non tristítiam apud Antônium mutâvit in gáudium? Iram quis non vértit in pacem?

PSALMUS 92.

DÓminus regnâvit, decôrem indútus est: * indútus est Dóminus fortitúdinem, et præcínxit se.

Etenim firmâvit órbem terræ, * qui non commovébitur.

Paráta sedes tua ex tunc: * à sæculo tu es.

Elevavérunt flúmina Dómine: * elevavérunt flúmina vocem suam.

Elevavérunt flúmina fluctus suos, * à vócibus aquárum multárum.

Mirábiles elatiónes máris, * mirábilis in altis Dóminus.

Testimónia tua credibília facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitúdo Dómine in longitúdinem dierum.

Aña. Bonum Ægipto Médicum Christus déderat: quis non tristítiam apud Antônium mutâvit in gáudium? Iram quis non vertit in pacem?

Aña. Semper hilarem * fáciem gerens, nec secúndis extollebâtur, nec frangebâtur advérsis.

PSALMUS 99.

JUbiláte Deo omnis terra; * servíte Dómino in lætítia.

Introíte in conspéctu ejus, * in exultatióne.

Scitôte quóniam Dóminus ipse est Deus: * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Pópulus ejus, et oves páscuæ ejus: * introíte portas ejus in confessióne, átria ejus in hymnis: confitémini illi.

Laudáte nomen ejus: quóniam suâvis est Dóminus, in ætérnum misericórdia ejus, * et usque in generatiónem et generatiónem véritas ejus.

Aña. Semper hilarem fáciem gerens, nec secúndis extollebâtur, nec frangebâtur advérsis.

Aña. Clamábat * quædam múlier ad Beátum Antônium: Expêcta homo Dei, expêcta: filia mea atrocíssimo vexâtur dœmónio.

PSALMUS 62.

DEus Deus meus * ad te de luce vígilo.

Sitívit in te ánima mea, * quam multiplíciter tibi caro mea.

In terra desérta, et ínvia, et inaquósa: * sic in sancto appárui tibi, ut vidérem virtûtem tuam, et glóriam tuam.

Quóniam mélior est misericórdia tua

super vitas: * lábia mea laudâbunt te.

Sic benedícam te in vita mea: * et in nómine tuo levábo manus meas.

Sicut ádipe et pinguédine repleátur ánima mea: * et lábiis exultatiônis laudábit os meum.

Si mémor fui tui super stratum meum, in matûtinis meditâbor in te: * quia fuisti adjútor meus.

Et in velaménto alárum tuárum exultábo, adhæsit ánima mea post te: * me suscépit déxtera tua.

Ipsi verò in vanum quæsiérunt ánimam meam, introibunt in inferióra terræ: * tradéntur in manus gládii, partes vúlpium erunt.

Rex verò lætâbitur in Deo, laudabúntur omnes qui júrant in eo: * quia obstrûctum est os loquéntium iníqua.

Hic non dicitur

Glória Patri.

PSALMUS 66. non dicitur

DEus misereátur nostri, et benedícat nobis: * illúminet vultum suum super nos, et misereátur nostri.

Ut cognoscámus in terra viam tuam: * in ómnibus géntibus salutáre tuum,

Confiteántur tibi pópuli Deus: * confiteántur tibi pópuli omnes.

Lætén tur et exúltent gentes: * quóniam júdicas pópulos in æquitáte, et gentes in terra dírigis.

Confiteántur tibi pópuli Deus: confi-

teántur tibi pópuli omnes: * terra dédit fructum suum.

Benedícat nos Deus, Deus noster, benedícat nos Deus: * et métuant eum omnes fines terræ.

Glória Patri.

Aña. Clamábat quædam múlier ad Beátum Antônium: Expêcta homo Dei, expêcta: filia mea attrocíssimo vexâtur dœmónio.

Aña. Benedíctus * Deus; qui servo suo tantam cóntulit grâtiam, ut et sanitátes restitúeret, et spirítibus immúndis imperáret.

CANTICUM

TRIUM PUERÔRUM.

Dan. 3.

BEnedícite ómnia ópera Dómini Dómino: * laudáte et superexaltâte eum in sæcula.

Benedícite Ángeli Dómini Dómino: * benedícite cœli Dómino.

Benedícite áquæ omnes, quæ super cœlos sunt Dómino: * benedícite omnes virtútes Dómini Dómino.

Benedícite sol et luna Dómino: * benedícite stéllæ cœli Dómino.

Benedícite omnis ímber et ros Dómino: * benedícite omnes spíritus Dei Dómino.

Benedícite ignis et æstus Dómino: * benedícite frigus et æstus Dómino.

Benedícite rôres et prûina Dómino: * benedícite gélu et frigus Dómino.

Benedícite glâcies et nives Dómi-

no: * benedícite noctes et dies Dómino.

Benedícite lux et tênebræ Dómino: * benedícite fùlgura et nubes Dómino.

Benedícat terra Dóminum: * laudet et superexâltet eum in sæcula.

Benedícite môntes et côlles Dómino: *benedícite univérsa germinántia in terra Dómino.

Benedícite fontes Dómino: * benedícite mária et flúmina Dómino.

Benedícite cete et ómnia quæ movéntur in aquis, Dómino: * benedícite omnes vôlucres cœli Dómino.

Benedícite omnes béstiæ et pécora Dómino: * benedícite fílii hóminum Dómino.

Benedícat Israël Dóminum: * laudet et superexâltet eum in sæcula.

Benedícite Sacerdótes Dómini Dómino: * benedícite servi Dómini Dómino.

Benedícite spíritus et ánimæ justórum Dómino: * benedícite sancti et húmiles corde Dómino.

Benedícite Ananía, Azaría, Misaël Dómino: * laudâte et superexaltâte eum in sæcula.

Benedicâmus Patrem et Fílium cum Sancto Spíritu: * laudêmus et superexaltémus eum in sæcula.

Benedíctus es Dómine in firmaménto cœli * et laudâbilis, et gloriôsus, et superexaltátus in sæcula.

Hic non dicitur

Glória Patri, *neque* Amen.

In aliis Cánticis dicuntur.

Aña. Benedíctus Deus; qui servo suo tantam cóntulit gràtiam, ut et sanitátes restitúeret, et spirítibus immúndis imperáret.

Aña. Æquabilitâtem * propósiti tenens Antônius, nec vestiméntum mutâvit, nec pedes lavît, nec escam sectâtus est molliôrem.

PSALMUS 148.

LAudáte Dominum de cœlis: * laudáte eum in excélsis.

Laudáte eum omnes Ángeli ejus: * laudáte eum omnes virtútes ejus.

Laudáte eum sol et luna: * laudáte eum omnes stéllæ et lúmen.

Laudáte eum cœli cœlórum: * et áquæ omnes quæ super cœlos sunt, lâudent nomen Dómini.

Quia ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandávit, et creáta sunt,

Stâtuit ea in ætérnum, et in sæculum sæculi: * præceptum pósuit, et non prætéribit.

Laudáte Dóminum de terra, * dracônes, et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glácies, spíritus procellárum: * quæ fáciunt verbum ejus.

Montes et omnes cólles: ligna fructífera et omnes cédri,

Béstiæ et univér-

sa pécora: * serpéntes et vólucres pennàtæ.

Reges terræ, et omnes pópuli: * príncipes et omnes júdices terræ.

Júvenes, et vírgines, sénes cum junióribus láudent nomen Dómini: * quia exaltátum est nomen ejus solíus.

Conféssio ejus super cœlum et terram: * et exaltávit córnu pópuli sui.

Hymnus ómnibus sanctis ejus: * fíliis Israël, pópulo appropinquânti sibi.

~~*Hic non dicitur*~~ Glòria Patri.

PSALMUS 149. non dicitur

CAntáte Dómino cánticum novum: * laus ejus in Ecclésia Sanctórum.

Lætétur Israël in eo, qui fecit eum: * et fílii Sion exûltent in rege suo.

Láudent nomen ejus in choro: * in tympano et psaltério psállant ei:

Quia beneplácitum est Dómino in pópulo suo: * et exaltábit mansuétos in salûtem.

Exultábunt sancti in glória: * lætabûntur in cûbilibus suis.

Exaltatiónes Dei in gútture eórum: * et gládii ancípites in mánibus eórum,

Ad faciéndam vindíctam in natiónibus, * increpatiónes in pópulis.

Ad alligándos reges eórum in compédibus: * et nóbiles eórum in mânicis férreis.

Ut fáciant in eis judícium conscríptum: * glória hæc

est ómnibus sanctis ejus.

Hic non dicitur Glória Patri.

PSALMUS 150. non dicitur

LAudáte Dóminum in sanctis ejus:* laudáte eum in firmaménto virtûtis ejus.

Laudáte eum in virtûtibus ejus: * laudáte eum secúndùm multitúdinem magnitûdinis ejus.

Laudáte eum in sono tubæ:* laudáte eum in psaltério et cíthara

Laudáte eum in tympano et chóro: * laudáte eum in chórdis et órgano.

Laudáte eum in cymbalis benesonántibus: laudáte eum in cymbalis jubilatiónis: * omnis spíritus láudet Dóminum.

Glória Patri.

Aña. Æquabilitâtem propósiti tenens Antônius, nec vestiméntum mutâvit, nec pedes lavît, nec escam sectâtus est molliôrem.

CAPITULUM.

Eccli. 2.

FIli, accêdens ad servitûtem Dei, sta in justítia, et timôre, et præpara ánimam tuam ad tentatiônem. Déprime cor tuum, et sústine: inclina aurem tuam, et súscipe verba intellêctus: et ne festínes in témpore obductiónis.

HYMNUS.

LUx hortátur nos solémnis
Laudis ad præcônium,
Venerántes gloriósum

Méritis Antônium,
Signa cujus tanta nostrum
Implent testimônium.
In desérto sérvus Dei,
Flórens sicut lílium,
Supernórum zelo dúctus,
Et invisibílium,
Per angûstam sequebátur
Viam Dei fílium.
Flagellâtus, et afflíctus
Fuit à dœmónibus:
Crûce tamen præmunítus,
Et oratiónibus,
Declinávit ab illátis
Infestinatiônibus.
Glória, et hónor Deo
Usquequâque Altíssimo
Una Patri, Filióque
Ínclito, Parâclito
Cui laus est, et potéstas
Per imménsa sæcula.
Amen.

℣. Ora pro nobis Beáte Antôni.
℟. Ut digni efficiámur promissiónibus Christi.

ANTIPHONA.

Gloriósus Antônius, cum non mediócre incómmodum senília mémbra turbâsset, vocátis ad se duobus frátribus, ait: Ego quidem, filîoli, Patrum grâdior viam: jam Dóminus me invítat; jam cúpio vidére cœléstia.

CÁNTICUM ZACHARÍÆ

Lucæ 1. 9.

Benedíctus Dóminus Deus Israël, * quia visitâvit, et fécit redemptiônem plebis suæ:

Et eréxit cornu salûtis nobis: * in domo Dávid pueri sui.
Sicut locûtus est per os sanctôrum, * qui à sæculo sunt, prophetárum ejus:
Salútem ex inimícis nostris: * et de manu ómnium, qui odérunt nos:
Ad faciéndam misericórdiam cum pátribus nostris: * et memorári testaménti sui sancti.
Jusjurândum, quod jurâvit ad Abraham patrem nostrum, * datûrum se nobis:
Ut sine timóre, de manu inimicórum nostrórum liberáti, * serviámus illi.
In sanctitáte et justítia coram ipso, * ómnibus diebus nostris.
Et tu puer, Prophéta Altíssimi vocâberis: * præíbis enim ante fáciem Dómini parâre vias ejus;
Ad dândam sciéntiam salûtis plébi ejus: * in remissiônem peccatôrum eórum.
Per víscera misericórdiæ Dei nostri: * in quibus visitávit nos, óriens ex alto.
Illumináre his, qui in ténebris, et in umbra mortis sedent: * ad dirigéndos pedes nostros in viam pacis.
Aña. Gloriósus Antônius, cum non mediócre incômmodum senília mémbra turbásset, vocátis ad se duobus frátribus, ait: Ego quidem, filíoli, Patrum grádior viam: jam Dómi-

nus me invítat; jam cúpio vidére cœléstia.

ORATIO.

OMnípotens sempitérne Deus, qui Beátum Antônium, váriis tentatiónibus probâtum, inter mundi hujus túrbines, illæsum transíre fecísti: concéde nobis fámulis tuis; ut et præcláro ipsíus in sancta professiône proficiâmur exemplo; et à præséntis vitæ perículis, ejus méritis, et intercessiône liberêmur. Per Dóminum nostrum.

AD PRIMAM.

Aña. Bonum Ægypto * Médicum Christus déderat: quis non tristítiam apud Antônium mutávit in gáudium? Iram quis non vértit in pacem?

AD TERTIAM.

Aña. Semper hilarem * fáciem gerens, nec secúndis extollebâtur, nec frangebâtur advérsis.

Capitul. Fili, accédens, *ut ad Laud.*

℟. *brev.* Amâvit eum Dóminus, * et ornâvit eum. Amâvit eum Dóminus.

℣. Stôlam glóriæ índuit eum: Et ornâvit eum.

Glória Patri. Amâvit eum Dóminus.

℣. Os justi meditâbitur sapiéntiam. ℟. Et lingua ejus loquétur judícium.

AD SEXTAM.

Aña. Clamábat * quædam múlier ad

Beátum Antônium: Expêcta homo Dei, expêcta: filia mea atrocissimò vexâtur dœmónio.

CAPITULUM. *Eccli. 2.*

SUstine sustentatiônes Dei: conjûngere Deo, et sùstine, ut créscat in novíssimo vita tua.

℟. *brev.* Os justi * meditâbitur sapiéntiam. Os justi meditâbitur.

℣. Et lingua ejus loquétur judícium. Meditâbitur. Glória Patri. Os justi meditâbitur.

℣. Lex Dei ejus in corde ipsíus. ℟. Et non supplantabûntur gressus ejus.

AD NONAM.

Aña. Æquabilitâtem * propósiti tenens Antônius, nec vestiméntum mutâvit, nec pedes lavit, nec escam sectâtus est molliôrem.

CAPITULUM. *Eccli. 2.*

OMne quod tibi applícitum fuérit áccipe, et in dolóre sûstine, et in humilitâte tua patiéntiam habe: quóniam in igne probátur âurum et argéntum, hómines vero receptíbiles in camíno humiliatiônis.

℟. *brev.* Lex Dei ejus * in corde ipsíus. Lex Dei ejus.

℣. Et non supplantabûntur gressus ejus. In corde. Glória Patri. Lex Dei ejus.

℣. Justum dedúxit Dóminus per vias rectas.

℟. Et osténdit illi régnum Dei.

IN II. VESPERIS.

Añæ, Psalmi, Capitulum, Hymnus et ℣. ut in primis Vésperis.

AD MAGNIFICAT.

ANTIPHONA.

HÓdie Beátus Antônius, * hilari vultu sanctos Angelos íntuens, támquam si amícos vidéret, migrâvit in cœlum, allelúja, quem chórus exûltat noster habére dûcem. Allelúja, allelúja.

Oratio. Omnípotens sempitérne Deus, *ut supra.*

Deinde fit commemoratio Cathed. S. Petri Apostoli.

Aña. Tu es pástor óvium, princeps Apostolórum, tibi tráditæ sunt cláves regni cœlórum.

℣. Tu es Petrus.

℟. Et super hanc pétram ædificâbo Ecclésiam meam.

ORATIO.

DEus, qui Beáto Pétro Apóstolo tuo, collátis clávibus regni cœléstis, ligándi atque solvéndi Pontifícium tradidisti: concéde, ut intercessiónis ejus auxílio, à peccatôrum nostrôrum néxibus liberémur.

Postea S. Pauli.

Aña. Sancte Paule Apóstole, prædicâtor veritátis, et Dóctor Géntium intercéde pro nobis ad Deum, qui te elégit.

℣. Tu es vas electiônis sancte Paule Apóstole.

℟. Prædicâtor veritátis in univérso mundo.

ORATIO.

DEus, qui multitúdinem Géntium Beáti Pauli Apóstoli prædicátioni docuísti: da nobis quæsumus; ut cujus commemoratiônem cólimus, ejus apud te patrocínia sentiâmus. Per Dóminum nostrum.

Non fit commemoratio S. Priscæ Virg. et Mart.

DIE XIX JANUARII.

TERTIA DIE INFRA OCTAVAM

S. ANTONII ABBATIS

SEMIDUPLEX.

AD MATUTINUM.

Omnia ut in die Festi præter sequentia. Lect. I. Noct. de Scrip. occ.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Joannis Chysóstomi.

In Orat. de S. Philogonio, t. 3.

LECTIO IV.

BEáti Antônii dies, cujus festivitátem celebrámus, ad ipsíus recte factórum enarratiónem linguam nostram evocávit: síquidem hódie beátus iste ad tranquillam, omnísque perturbatiónis expértem vitam tránsiit: eóque navígium áppulit, ubi deínceps non póterit metúere naufrágium, nec ullam ánimi perturbatiónem, aut dolórem. Et quid mirum est, si locus ille purus

est ab omni moléstia ánimi, cum Paulus homínibus adhuc in hac vita degéntibus loquens dicat: Semper gaudéte, sine intermissióne orate?

℟. Pernoctans.

Lectio V.

Quod si hic, ubi morbi, ubi insectatiónes, ubi præmatúræ mortes, ubi calumniæ, ubi invídiæ, ubi perturbatiónes, ubi iræ, ubi cupiditátes, ubi innumerábiles insídiæ, ubi quotidiánæ sollicitúdines, ubi perpétua sibique succedéntia mala sunt. innúmeros ex omni parte dolóres afferentia, Paulus dixit fíeri posse ut semper gaudeámus si quis páululum ex rerum mundanárum flúctibus eréxit caput, vitamque suam recte composúerit: multo magis, postquam hinc demigravérimus, fácile cómpotes érimus ejus boni, cum hæc ómnia sublata fúerint, advérsa valetúdo, morbi, peccándi matéria, ubi non est meum actuum, frígidum illud verbum, et quidquid est malórum in vitam nostram ínvehens innumeráque gignens bella.

℟. Sermo ejus.

Lectio VI.

Quamobrem maximópere grátulor hujus Sancti felicitáti, quod quamquam translátus est, atque hanc, quæ apud nos est, civitátem relíquit, tamen in álteram adscríptus est civitátem, nempe Dei: et digréssus ab hac Ecclésia, ad illam pervénit, quæ est primogenitórum descriptórum in coelis: ac relíctis hisce festis, tránsiit ad celebritátem Angelórum. Etenim quod et civitas sursum sit, et Ecclésia, et celébritas, audi Paulum dicéntem: Accessístis ad civitátem Dei vivéntis, Jerúsalem cœléstem, et Ecclésiam primitivórum, qui conscrípti sunt in cœlis, et ad multórum míllium Angelórum frequéntiam.

℟. Cum ad tugúrium.

IN III. NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélii secundum Matthæum.

Lectio VII.

Cap. 19. d.

In illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te: quid ergo erit nobis? Et réliqua.

De Homilía venerábilis Bedæ Presbyteri. *In Natali S. Benedicti.*

Duo sunt órdines electórum in judício futúri: unus judicántium cum Dómino, de quibus hoc loco mémorat, qui reliquérunt ómnia, et secúti sunt illum: alius judicandórum a Dómino, qui non quidem ómnia sua páriter reliquérunt, sed de his tamen quæ habébant, quo-

tidiánas dare eleemósynas Christi paupéribus curábant: unde et auditúri sunt in judício: Veníte benedícti Patris mei, possidéte præparátum vobis regnum a constitutióne mundi. Esurívi enim, et dedístis mihi manducáre: sitívi, et dedístis mihi bíbere.

℟. Fáctum est, dum Paulus.

LECTIO VIII.

SEd et reprobórum duos ibi futúros órdines Dómino narránte compérimus: unum eórum, qui fídei christiánæ mystériis initiáti, ópera fídei exercére contémnunt, quibus in judício testátur: Discédite a me maledícti in ignem ætérnum, qui præparátus est diábolo, et ángelis ejus: esurívi enim, et non dedístis mihi manducáre. Alterum eórum, qui fidem et mystéria Christi vel nunquam suscepére, vel suscéptam per apostasíam deseruére: de quibus dicit: Qui autem non crédit, jam judicátus est: quia non crédit in nómine unigéniti Filii Dei.

℟. Beatíssimus sénex.

Pro SS. Mario et soc. Mart.

LECTIO IX.

MArius Persa nobili loco natus, cum Martha cónjuge pari nobilitáte, et duóbus filiis Audíface et Abachum, Romam venit, Cláudio Imperatóre, ut Mártyrum sepúlchra venerarétur. Ibi Christiános in víncula conjéctos fovébant, et ópera et facultátibus suis sustentábant, et Sanctórum córpora sepeliébant. Quamóbrem comprehénsi omnes, cum nec impiórum minis nec terróre commovéntur ut diis sacrificárent, primum fústibus debilitáti, deinde fúnibus attrácti, tum admótis candéntibus láminis combústi, et úngulis férreis excarnificáti sunt. Postremo præcísis mánibus, et ad collum alligátis, ducti per médiam Urbem, via Cornélia ad tertiumdécimum ab urbe milliárium in eum locum qui Nymphæ dicebátur, necántur; ac primum Martha, quæ virum ac filios ad supplícia pro Jesu Christi fide constanter perferénda, veheménter fúerat cohortáta: mox cæteris in eadem arenária cervíces abscindúntur, eorúmque córpora conjiciúntur in ignem. Quæ semiústa, Felícitas matróna Romána nóbilis, colligénda, et in suo prædio sepelienda curavit.

Te Deum laudámus.

In Laud. Comm. SS. Marii et soc. Mart. aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt: nolíte timére: multis passéribus melióres estis vos. ℣. Exultábunt.

ORATIO.

EXáudi Dómine pópulum tuum cum Sanctórum tuórum patrocínio supplicántem: ut et temporális vitæ nos tríbuas pace gaudére, et ætérnæ reperíre subsídium. Per Dóminum nostrum.

DIE XXIV. JANUARII.

OCTAV. S. ANTONII ABBAT.

DUPLEX.

Omnia dicuntur sicut in die festo, præter sequentia.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones sicut in die festo.

IN II. NOCTURNO.

De Sermóne Sancti Athanásii in vita Sancti Antónii Abbátis.

LECTIO IV.

FInito sermóne, frátres eum vehementíssime retardábant, glorióso Patris cupiéntes término decorári, sed multas ob causas, quas siléntio prætermittébat, contradíxit: et celériter vale dícens Mônachis, qui conflûxerant, ad ámicum virtútis habitáculum pedávit. Post menses autem paucos, cum non mediócre incómmodum senília mémbra turbásset, vocátis ad se duóbus frátribus, quos ibídem ante quíndecim annos, módico intervállo sejûnctos, institûerat, quique étiam ei jam séni, cœperant ministrâre, ait: Ego quidem, filíoli, secúndùm elóquia Scripturárum Patrum grádior viam, jam enim Dóminus me invítat, jam cûpio vidére cœléstia: sed vos, (ò víscera mea) ádmoneo, ne tanti témporis labôrem repénte perdátis. Hódie vos religiósum stúdium arripuísse arbitrámini, et cœptæ voluntâtis fortitûdo succréscet.

℟. Pernôctans.

LECTIO V.

VÁrias dœmonum nostis insídias, vidístis eórum et ímpetus ferôces, et víres effœminàtas: Jesum suspiráte, et credulitátem nóminis ejus véstris fígite méntibus, et à certa fide dœmones fugabúntur. Mementôte étiam admonitiônum meárum, et incértæ conditiônis, vítam, quotídiè ancípitem pertractáte, et cœléste vobis præmium sine cunctámine tribuétur. Schismaticôrum quóque et hæreticôrum venéna vitáte, meúmque circa eos ódium sectámini, quia Christi sunt inimíci. Scitis ipsi, quod nullus mihi, nec pacíficus quidem sermo cum eis aliquándo fuêrit, própter právam eórum voluntátem, et pêrtinax contra Christum béllum. In hoc autem magis estôte solíciti, ut Dómini præcépta servétis, et post mórtem vestram Sancti quíque quasi amícos, et nótos, in ætérna vos recípiant tabernácula. Hæc cogitá-

te, hæc sápite, hæc retéxite.

℟. Sermo ejus.

LECTIO VI.

VEstimentórum autem meórum sit ista divísio: Melótem et pállium tritum, cui superjáceo, Athanásio Epíscopo dáte, quod mihi novum ipse detúlerat: Serápion Epíscopus aliam accípiat Melótem: vos Cilicínum habetóte vestiméntum, et valéte víscera mea: Antónius enim mígrat, et jam non erit in præsénti sæculo vobíscum. Verba finíerat, et osculántibus se discípulis, exténdens paúlulum pedes, mórtem lætus aspéxit; ita ut ex hilaritáte vúltus ejus, Angelórum sanctórum, qui ad perferéndam ánimam ejus descénderant, præséntia nosceré-tur. Hos intuens, támquam si amícos vidéret, ánimam exhalávit, et ádditus est Pátribus secúndùm órdinem Scripturárum. Servavérunt mandáta Discípuli, involútum, ut præcéperat, córpus húmo operiéntes.

℟. Cum ad tugúrium.

IN III. NOCTURNO.

Léctio Sancti Evangélii secúndùm Matthæum.

Cap. 19.

IN illo témpore: Dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos relíquimus ómnia, et secúti sumus te, quid ergo erit nobis? Et réliqua.

Homília Sancti Gregórii Papæ.

Lib. 10. Moral. cap. 29. et 30.

LECTIO VII.

EST extrémi judícii prædestinátus dies, quo justus quísque, qui nunc despícitur, quánta potestáte fúlgeat demonstrátur. Tunc enim cum Deo júdices véniunt, qui nunc pro Deo injústè judicántur: tunc eórum lux tanto latius émicat, quánto eos nunc mánus persequéntium dúrius angústat; tunc reprobórum óculis patéscet, quod cœlésti potestáte subníxi sunt, qui terréna ómnia sponte reliquérunt. Unde eléctis véritas dicit: Vos, qui secúti éstis me, in regeneratióne, cum séderit fílius hóminis in sede majestátis suæ, sedébitis et vos super duódecim sedes judicántes duódecim tribus Israël.

℟. Fáctum est, dum Paulus.

LECTIO VIII.

NEque enim plúsquam duódecim júdices illa interni conséssus curia non habébit. Sed nimírum duodenário número quántitas universitátis éxprimitur: quia quísquis stímulo divíni amóris excitátus, hic possésa relíquerit, illic proculdúbio cúlmen judiciáriæ potestátis obtinébit: ut simul tunc júdex cum júdice véniat, qui nunc con-

siderationóne judícii sese spontánea paupertáte castígat. Hinc est enim, quod de sanctæ Ecclésiæ spônso per Salomónem dícitur: Nóbilis in pôrtis vir ejus, quándo séderit cum Senatóribus terræ. Hinc Isaías ait: Dóminus ad judícium véniet cum Senióribus pópuli sui.

℟. Beatíssimus sénex.

LECTIO IX.

HInc eôsdem senióres Véritas, non jam fámulos, sed amícos denúntiat dícens: Non jam dicam vos sérvos, sed amícos meos: quos nimírum Psalmísta íntuens, ait: Mihi autem nimis honoráti sunt ámici tui, Deus. Quorum dum celsitúdinem cordis aspíceret, mundi glóriam qua cálce calcárent, prótinus áddidit: Nimis confortátus est principátus eórum. Ac ne paucos esse crederémus, quos profícere usque ad summum tantæ perfectiônis agnóscimus, íllico adjúnxit: Dinumerábo eos, et super arénam multiplicabúntur. Quot itaque nunc pro amóre veritátis sese libénter humíliant, tot nunc in judício lámpades coruscábunt.

Te Deum laudámus.

DECRETUM.

MINORICEN.

Quo magis cultus et pietas erga S. Antonium Abbatem Insulæ Minoricæ Patronum Præcipuum, foveatur, Rmus. Dnus. Salvator Castellote Pinazo, hodiernus Episcopus Minoricensis, Capituli et Cleri Diœcesis sibi concreditæ votis obsecundans, Sanctissimum Dominum Nostrum Leonem Papam XIII humillime deprecatus est, ut, clero sæculari ejusdem diœcesis necnon religiosis aliisque diœcesano calendario utentibus, concedere dignaretur Officium proprium cum Missa respondente, jam aprobatum pro Ordine Canonicorum Regularium S. Antonii Viennensium, et Ecclesiæ Parochiali Ss. Martini Episcopi et Antonii Abbatis, civitatis Valentinæ jampridem indultum. Sacra porro Rituum Congregatio, vigore facultatum sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributarum, expetitam extensionem Officii et Missæ propriæ de S. Antonio Abbate universo clero sæculari praedictæ diœceseos et religiosis aliisque diœcesano Calendario utentibus benigne concedit, sub ritu quo hucusque Festum ejusdem S. Abbatis celebratum est; atque servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Julii 1897.

C. CARD. MAZZELLA. EP. PROENESTIN. PRAEF.— *D. Panici Secr.*

IMPRIMATUR

Civitellæ Minoricarum 27 Dec. 1897.

† SALVATOR, *Episcopus Minoricensis.*